

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1747)
Heft: 5

Artikel: I. Georgii Altmanni investigatio sensus verborum Christi ad Mariam Magdalenam : Ioh. Cap. XX: 17
Autor: Altmann, J. Georg
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394596>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.05.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

J. GEORGII ALTMANNI

Investigatio Sensus verborum Christi
ad Mariam Magdalenam

JOH. Cap. XX: 17.

Dicit ei Iesus, ne me tangito, nondum enim ascendi ad Patrem meum, sed abi ad Fratres meos, & dic eis, ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, ad Deum meum & Deum vestrum.

Torquent se sæpius plurimi Scripturæ interpretes in eruendo sensu quorundam locorum, atque magno labore & conatu in longinquo quærunt, quæ probe attendentes proxime oculis suis exposita vident, atque hinc certe mirum non est, tales sæpius occurrere explicationes, quæ a sensu Spiritus sancti sunt remotæ, nec opus est hæc exemplis illustrare; probat id locus, quem brevi disquisitioni subicere est animus. Omnis vero hujus loci difficultas eo redit, quare Christus e mortuis resuscitatus a Maria tangi noluerit? Longum foret, vel veterum vel recentiorum sententias omnes ordine recensere, potissimas exhibuisse contenti, adjecta epicrisi & sensus simplicissimi descriptione.

Sunt quidam interpretes, qui putant Christum e mortuis resuscitatum his verbis, *noli me tangere*, denotare Mariæ quod jam Servatori resuscitato majorem debeat reverentiam, quam autem in forma humili & abjecta obambulanti exhibuerat, aliamque jam esse corporis glorificati rationem, quam quæ
fue-

fuerat ad crucem & mortem deproperantis: ut autem multis placuit hæc explanatio, ita certe nobis probabilis neutiquam videtur, licet enim corpus Christi post resurrectionem e mortuis mortale esse desierit, imo ante ascensionem jam in terra gloriosius fuerit quam ante passionem, nihilominus tamen corporis affectiones non reliquit, hinc a Thoma & piis mulieribus se tangi passus est Christus resuscitatus, Luc. 24: 39. & Matth. 28: 9. Hinc jam concludimus, aliam fuisse Salvatori rationem, quare a Maria tangi noluerit, æqualiter enim mediator erat ante & post mortem, nec certe est credibile Christum de Maria, cujus fidem optime noverat, majorem reverentiam postulasse. Placuit aliis statuere, Christum hoc modo cohibere voluisse celerem nimis Mariæ festinationem, qua sensibus suis, in Domini sui amplexus, quem mortuum adhuc crediderat, ruens, satisfacere voluerit, addito tamen solamine, quod nondum terra relicta ad Patrem redierit; habet hæc explicatio quædam, quæ ad sensum verborum Christi inveniendum conducunt, sed eum hæcenus non plane aperiunt.

Interpretationem ab omni probabilitate remotam pro ingenii sui libidine excogitavit *Joh. Harduinus* Commentar. ad N. T. p. 319. quæ etiam refutatione opus non habet, verba ejus hæc sunt. *Dicit Jesus ad Mariam, noli me tangere, quippe adhuc aromatibus madidum, quibus me præunxerunt Josephus & Nicodemus, nondum enim ascendi ad Patrem meum qui in Cælis est, nondum accepi Corpus spirituale quod ibi accepturus sum, tu vero extemplo ac sine mora vade ad fratres meos, & gaudium tuum illis imperti; Dic eis meo nomine ascendo statim ad Patrem*

meum & Patrem vestrum, ut ibi supervestiar, & absorbeatur quod in isto corpore mortale est a vivifica & cœlesti substantia.

Diversam ab omnibus modo memoratis, verborum Christi explicationem nobis exhibuit Vir Consultissimus, *Jacobus Gysius*, Med. Doct. & dum viveret Civitatis Aroviensis Consul, in demonstratione Morali Religionis Christianæ, pag. 408. cujus verba hæc sunt. *Meo quidem judicio valde est probabile Christum statim post resurrectionem suam Cœlum ascendisse, ibique se Patri Cœlesti stigmata sua secum ferens exhibuisse atque statim postea iterum in terram descendisse suisque discipulis præsentem corpore suo monstrasse, ideoque dixit Mariæ Magdalænæ, abi ad fratres & dic illis, me ascendere ad Patrem meum & ad Patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum, quæ verba de solemnî ascensione in Cœlum intelligi non possunt, quippe quæ quadraginta dies post resurrectionem suam contigit, cum interea temporis ab Apostolis & discipulis suis sæpius est visus, atque hæc sententia ideo mihi fit probabilis, quia nusquam ab Apostolis memoratur, ubinam Christus per dies illos quadraginta fuerit commoratus. Cum vero Viri Doctissimi sententia illis destituatur præsidiis, quæ nobis fidem facere possent ad eam nostram faciendam, eam nec amplectendam nec a nobis prolixis argumentis rejiciendam relinquimus.*

Longe vero probabiliorem nobis exhibuit Vir & ingenio & eruditione vere illustris *Sam. Werenfelsius*, in *Cogitat. ad loca quædam N. T.* cujus verba *Opuscul. Tom. I. p. 282. edit Lausann.* sunt sequentia. *Ego hujus nodi solutionem credo querendam esse in prædictione Christi, quæ habetur Joh. 14. ubi Christus dicit, se vadere in domum Patris, ubi*
multæ

multæ sunt habitationes, locum discipulis paraturus, & quum abiero inquit Christus, & paravero vobis locum, rursus veniam & assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, & vos sitis; Et postea v. 18. Audistis, quod ego dixi vobis, abeo & redibo ad vos, abeo scil. ad Patrem, & in sequentibus explicat, & a Patre ad vos redibo: Duo itaque Christus prædixit discipulis suis, se ad Patrem abiturum, & deinde a Patre ad ipsos rediturum, suosque ad se assumpturum. Utraque hæc prædictio, cum Mariæ Magdalenæ ignota esse non potuerit, existimavit optima femina, Jesum ex mortuis suscitatum interea apud Patrem fuisse, & illinc ad discipulos suos, ut promiserat redire, suos omnes nunc assumpturum, ut ab hoc tempore perpetuo secum versentur; In hac persuasione plena gaudii Jesum suum, quem ab hoc tempore in æternum possessura erat, amplecti, mirificamque ex hoc conceptam lætitiâ testari voluit, at Jesus errorem mulieris cognoscens, noluit eam spe vana lactare, & ne, inquit, me tange, ne me amplectere ut hominem ab itinere ad Patrem jam reducem, & imposterum vobiscum in æternum commoraturum, tantum enim abest, ut jam a Patre ad vos redeam, ut iter ad Patrem nondum sim ingressus, sed potius abi ad fratres, & illis resurrectionem meam annuntia. Hæc equidem Viri Doctissimi & acutissimi conjectura egregia quidem & suo auctore digna est, sed ea nimis longe petita videtur, & si omnes circumstantias ab Evangelistâ Johanne recensitas recte pensitemus, difficile nobis videtur credere, mulierem optimam in subitaneo & effusissimo illo gaudio omnia hæc secum voluisse. Stabat Maria Magdalena tristis & attonita ad sepulchrum, illudque vacuum esse animadvertit. nec quidquam de resurrectione cogitat, & primo obtutu Christum videns,

videns, hortulanum esse suspicatur, & Christum eam alloquentem haud dubie ex sermone & vultu simul agnoscit, eoque momento quo Dominum coram se stantem intuetur, ad eum decurrit, eum amplexura, atque hæc nos eo deducunt, ut Viri Celeberrimi conjectura minus fiat probabilis, cum vix sit credibile, quod Maria Magdalena, quæ modo Dominum in sepulchro adhuc latentem putaverat, sibi fingere potuerit, eum tantillo temporis spatio in Cœlum ascendisse iterumque in terram rediisse, adde & hoc, quod incertum sit, an Maria Magdalena in illo temporis momento tam præsentis fuerit animo, ut illa Christi promissio eius menti se præsentem exhibuerit.

Meliorē & tutiorem ad hæc explicanda viam sibi invenisse videbantur, qui ad sensum mysticum confugiunt interpretes, statuentes Servatorem nostrum hoc modo non Mariam Magdalenam tantum, sed & totum chorum discipulorum hoc modo ab omnibus ideis corporeis ad Cœlestia deducere voluisse, atque hanc præsertim sententiam pro stabili & certa amplectitur *Matthias Flacius Illyricus* in Gloss. ad N. T. p. 463. *Indicat, inquit, Dominus, non se sic porro apud eos fore, ut eum tangere, complecti & externo visibilique modo apud se habere queant, sed spiritali, quo eum præsentem credant, & ab effectibus experiantur, non oculari præsentia cernant.* Hæc equidem explicatio magnam secum ferret verisimilitudinis speciem, si Servator a mortuis resuscitatus a mulieribus & Thoma non contactus fuisset, ut hoc modo discipulis suis plenariam resurrectionis suæ fidem faceret, adde & hoc, quod ea nimis subtilis esse videatur, ita ut certe credibile non sit, quod nec
Maria

Maria Magdalena, nec reliqui discipuli scopum Christi absconditum facile detegere potuissent, si equidem statuamus, Servatorem his verbis *noli me tangere*, mentem & oculos Mariæ ab omni conceptu corporeo avellere voluisse: sed si non omnia me fallunt, hauserunt hanc explicationem quidam interpretes ex *Augustino*, qui Lib. IV. de Trinit. cap. 3. Operum Tom. III. hæc habet. *Noli me tangere &c. cui mysterio congruit Apostolus, dicens. Si autem consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dextram Dei sedens, & ita quæ sursum sunt Sapite, hoc est enim Christum non tangere, nisi cum ascenderit ad Patrem, non de Christo Sapere carnaliter.*

Exposuimus jam potiores circa hunc locum eruditorum sententias: plures quamvis communi interpretum sententia a sensu verborum Christi remotas, qui scire desiderat, evolvat *Wolfii* Cur. Philolog. ad h. l. *Lampii* Commentar. in Johannem Tom. III. p. 677. nec non *Job. Conr. Wirzii*, Venerabilis Ecclesiæ Tigurinæ Antistitis Commentar. Analytico - Exegetic. in Evang. Joh. Tom. II. p. 1048.

In hoc sententiarum divortio, quid statuendum sit, definire videtur difficile, si autem nexum verborum antecedentium & consequentium probe inspiciamus, nisi omnia me fallunt, sensus verborum Christi facile detegitur & eruitur. Maria Magdalena fide & amore in Christum stimolata, summo mane decurrit ad sepulchrum, Servator optimus gratiosa remuneratione coronat amorem optimæ mulieris, seque ei manifestat, Petrus & Johannes qui etiam ad sepulchrum accesserant, Servatorem non vident; Maria Domi-
num

num aspiciens non agnoscit, eumque hortulanum esse suspicatur, errorem adimit ipse Christus eam alloquens; Quamprimum Christum audit, cognoscit notam vocem, atque responsione vocis *Rabbuni* significat se credere, Christum esse quem hactenus quæsiverat, sed manet tamen dubium aliquod an ipse sit, an non forsan animæ Christi formam tantum solido corpore destitutam coram se videat, vel an alius sit, eandem vocem & formam referens, per amplexum certior fieri cupit. Dominus respondit. *Ne me tangas, nondum enim ascendi ad Patrem meum &c.* Sensus ideo horum verborum hic est: *Noli dubitare Christum esse, quem vides, qui tecum loquitur, nec opus est, te majorem contactu corporis mei acquirere certitudinem, tuum est credere si Dominus loquitur, sis ideo certa de resurrectione mea, noli jam morasnectere, tempusque contactu & amplexibus terere, dum fratres mei qui me æque amant ac tu, quid de me factum sit, nesciunt, tuum ergo est, cum tibi prius comparuerim, illis tantum manifestare Evangelium, abi ergo cito, & sine mora provola ad fratres qui me amant, illisque renuntia, me e mortuis esse ad vitam revocatum, atque illud tuum desiderium corpus meum tangendi certo adhuc implebitur, cum adhuc per aliquod temporis spatium apud vos corpore meo mansurus sim, habeo enim verum illud corpus quod toties vidisti, illudque retenturus sum ut me videatis, nondum enim demigravi ex terra ad Patrem meum in Cælum, sed ad consolationem vestram adhuc aliquandiu apud vos subsistam, tuum ideo est fidem mihi atque obedientiam præstare & certitudinem resurrectionis meæ membris meis anxie expectantibus denuntiare, nec jam tibi convenit majora certitudinis resurrectionis testimonia vel petere vel expectare.*

Notan-

Notandum adhuc, quod saltem hujus explicatio-
nis partem viderit *Beza*, quem postea sequutus
est *Coccejus* & *Episcopus*, & ex recentioribus *Bas-
nagius*, *Saubertus*, *Clericus* & *Lampius*, eam vero sua
se simplicitate commendare illi, ut speramus fa-
cile videbunt, qui cum antecedentibus & conse-
quentibus historiæ resurrectionis Christi a Johan-
ne descriptæ accuratori examini eam subjicient.
Plura jam addere non licet.

T A N T U M.



V. C.